



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Gregorio Catholico Armeniorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

caput omnium nostrum , ut servet vos & vestros ab omnibus malis: quia cùm vos, qui etsis caput , etsis incolomes , nos, qui sumus corpus , bene valebimus per vestram benedictionem. Noveritis, Domine, quòd ad nos venit nobilis, sapiens, & sublimis Archiepiscopus Maguntinus: qui nobis attulit ex parte Dei , & ex parte sublimitatis Ecclesiae Romanæ , & ex parte magni Imperatoris Romanorum , sublimem coronam , & coronavit Regem nostrum Leonem , & nobis redidit coronam quam nos perdidimus à longo tempore , unde nos fuimus elongati à vobis , & nos receperimus eam libenter & cum magno gaudio ; & inclinamus & regratiamus Deo , & sanctæ Romanæ Ecclesiae , & alto Imperatori Romanorum. Sciat, Domine, quòd ipse nobis monstravit vestra præcepta, & nos ea multùm libenter audivimus , & libenter volumus legem & fraternitatem sublimis Ecclesiae Romanæ , qua est mater omnium Ecclesiarum ; & nos solebamus eam habere , & nunc eam habemus , & libenter volumus esse ad vestrum mandatum ; & firmiter sunt ad mandatum vestrum omnes Archiepiscopi, Episcopi, & omnis Clerus nostræ Ecclesiae , qui sunt in multis terris , & sunt multi per Dei gratiam. Et nos rogamus vos ut oretis Deum pro nobis, quia nos sumus in ore draconis & in medio inimicorum crucis , & inter eos qui sunt naturaliter inimici nostri. Et nos vos rogamus per Deum quatenus nobis mittatis tale adiutorium & tale consilium quòd nos possimus conservare honorem Dei & Christianitatis & vestrum. Quia postquam nos sumus vestri , & vos etsis memores nostri, efficiatis tantum erga nos, quòd nos gratias referamus Deo , qui nos redemit sanguine suo , & quòd gratiam agamus sanctæ cruci Domini nostri, qui fecit totum mundum. Iesu Christus defendat vos & omnes vestros ab omni malo , & nobis det vestram benedictionem.

GREGORIO CATHOLICO
Armeniorum.

Epist. 218.
Respondet su-
pernoti epि-
stola.

EX eo te radicatum in fide catholica & esse Catholicum non tam nomine quam merito experimus, quòd apostolica sedis magisterium recognoscens, eam Ecclesiarum omnium matrem & nos caput universorum fidelium confiteris ; sicut ex tuarum nobis innotuit

serie litterarum. Nostri etenim privilegium Petri , quòd sibi Dominus universas oves suas pascendas , vocabulo tertio reperto , commisit, *Pasce*, inquiens, *oves meas* , & super universos ei ligandi & solvendi contulit potestatem , dicens ad eum : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in celo ; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in celo.* Nostri etiam prerogativam apostolicæ sedis , quæ per merita beati Petri , etsi non tempore , auctoritate tamen inter Apostolos primi , non constitutione synodica sed divina inter omnes Ecclesiæ magisterium obtinuit & primatum , fundata super immobili fundamento , de quo Paulus Apostolus inquit : *Fundamentum positum est preter quod aliud ponи non potest , quod est Christus Iesus.* & de quo Veritas in evangelio inquit ad Petrum : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam , & portæ inferi non prevalebunt adversus eam.* Petrus siquidem post Christum potest intelligi pastor unus , & Ecclesia universalis , ovile unum : de quibus Dominus in Evangelio protestatur, *Alias, dicens, oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili , & illas oportet me adducere , & vocem meam audient , & fieri unam ovile , & unus pastor.* Sancte lapis ille angularis , quem reprobaverunt ædificantes , factus postmodum in caput anguli , faciens utraque unum , Iudeorum populos & gentium nationes in unitate Christianæ fidei cotinivit , Ecclesiam ex utrisque constituens non habentem maculam neque rugam : quæ ne post ascensionem ejus separetur in partes , & ne unitum in ejus fide divideretur ovile , uni commisit Apostolorum principi gubernandam , quem solum sibi Dominus & in officio vicarium & in magisterio constituit successorem. Hoc autem tua fraternalis diligenter attendens , ac sciens quòd secundum Apostolum omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra , nos , quos Dominus, licet immeritos , Vicarios suos esse voluit & Apostolorum principis successores , Caput Ecclesiarum confiteris , & te ac fratres & coëpiscopos tuos partem nostri corporis recognoscis , sciens quòd sicut palmes non potest fructum facere à semeripso , nisi manserit in vite , sic & membrum & sensu careret & actu , si non in corporis permanerit unitate. Gaudemus ergo non modicum quòd in fide

P pp ij

catholica perseverans, circa nos pia^m ge-
ris devotionis affectum, & filium te esse
apostolica^m sedis, innuis, dum eam esse
matrem omnium protestaris, recognos-
cens a nobis magisterium ecclesiastica^m
disciplinae, quam etsi receptam longo
tempore prius, ex parte tamen per ve-
nerabilem fratrem nostrum Magunti-
num Archiepiscopum, Episcopum Sabi-
nensem, unum ex septem Episcopis qui
nobis in Ecclesia Romana collaterales
existunt, suscepisse te gaudes, & deside-
ras observare. Fuit autem & est magnum
tu^m devotionis indicium, quod eundem
Archiepiscopum magnifice recepisti, &
curasti non modicum honorare; sicut &
tu^m litterae continebant, & ipsius nobis
relatio patefecit. Monemus igitur
fraternitatem tuam & exhortamur in Do-
mino, ac per apostolica tibi scripta man-
damus, quatenus in devotione sedis apo-
stolica firmiter perseveres, & in lege
Domini die mediteris & nocte, quae sane
doctrinæ congruunt prædicans, & quae
prædicaveris, quantum Dominus per-
mittit, adimplens; ut in te nec opera
verbis, nec verba operibus contradicant.
Esto circa subiectos magister, ut doceas,
ut corrigas, pater; mater, ut foveas;
doceas minus doctos, superbos corrigas,
humiles foveas & devotos; justitiam mi-
sericordia temperans, & æquitatem in
judicio non relinques. Super subven-
tione vero Hierosolymitanæ provinciæ
nosse te volumus quodjam per Dei grati-
am ad communionem nostram multi
crucis signaculum receperunt, & plures
Domino dante recipient, in defen-
sionem orientalis provinciæ opportuno
tempore transituri. Iam etiam duo ex
fratribus nostris de manibus nostris
vivificæ crucis assumpsere vexillum, exer-
citum Domini præcessuri. Confide igitur,
& esto robustus: quia citius forsitan
quam credatur, orientalis provincia sub-
sidium sentiet expectatum. Datum Late-
rani IX. Kal. Decembri.

LITTERÆ LEONIS REGIS
Armeniæ ad Papam Innocentum.

Epiſt. 219.
Perit subſidium
adversus pag-
anos.

REverendissimo in Christo Patri &
Domino Innocentio Dei gratia
Summo Pontifici & universalis Papæ, tan-
to & tali honore dignissimo, Leo per
eandem & Romani Imperij gratiam Rex
omnium Armeniorum, cum salutatione
se ipsum, & quicquid potest. Gloria,

laus, & honor omnipotenti Deo, qui vos
tantum & talem pastorem Ecclesiæ suæ
præesse voluit, vestris bonis meritis exi-
gentibus, & tam fructuosam & firmam
fabricam super fundamentum Apostolo-
rum componere, & tantum lumen super
candelabrum positum toto orbi terra-
rum ad salutem totius Christianitatise fu-
ndere dignatus est. In vestri verò lu-
minis gratia salutariibus monitis Reve-
rendissimi Patris nostri Archiepiscopi
Maguntini instruti & informati, omne
regnum nobis a Deo commissum amplis-
simum & spatiolum, & omnes Armenios
huc illuc in remortis partibus diffusos, ad
unitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ di-
vina inspirante clementia revocare cu-
pimus & exoptamus. Ad hæc, calamita-
tes, miseras, paupertates, & imbecilli-
tatem regni Syriæ & nostri per ipsum
prædictum Maguntinum (quia diffici-
lior labor erat scripto retexere) pietati
vestræ patefacimus. Ipse verò per singu-
la rei veritatem vobis explicabit, in cuius
notitiam ista non præteriere. Hanc uti-
que contritionem & collisionem in valle
destituti lachrymarum jamdiu sustinui-
mus, quam de cerero sine spe subsidij &
auxiliij vestri sustinere nequimus. Verum
quia zelus domus Dei tepescere non de-
bet in cordibus tam vestro quam nostro,
non ut personam instrumentis geramus,
ejusdem domus decorem diligere & pro-
eadem domo murum nos oportet oppo-
nere, ut impetus quos super eam faciunt
inimici crucis, cooperante Dei gratia
collectis in unum animi viribus refluen-
do excludamus. Hinc est quod vestram
flexis genibus imploramus pietatem qua-
tenus lachrymabilibus Domini Magun-
tinii precibus & nostris divino intuitu au-
res misericordia porrigatis, & miseriis
Christianitatē compatientes, subsidium
Christianissimum nobis acurrendo mit-
tatis antequam irremeabile (quod absit)
incurramus diluvium; immo cum Dei &
vestro auxilio, evaginato ense, de Hur
Chaldeorum & perfecutione Pharaonis
liberari possimus. Datum Tharsis anno
ab incarnatione Domini MCXCIX.
mense Majo, die vigesima tertia.

LEONI ILLVSTRI REGI
Armeniorum.

IS Ecclesiam suam congregatam ex
gentibus, non habentem maculam
neque rugam, super gentes & regna

Epiſt. 219.
Reponet la-
perioli epi-
ſtolæ.